

007  
1870

Tom 74

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
14.  
15.  
16.  
17.



<sup>46.</sup>  
EXERCITATIO PHILOSOPHICA

*De*

NATVRA  
SIBI INCASSVM  
VINDICATA,

*Qua*

Sententia nostra de NATVRÆ, provi-  
dentissimè ubiqve, & efficacîâ Divinæ Virtuti  
contradistinctâ, universaliter & particulariter  
agentis,

IDOLO

*ab ignorationibus elenchi perpetuis VIRI  
DOCTISSIMI, mentem nostram haud assecuti,  
modestè vindicatur;*

SVB MEO

IOH. CHRISTOPHORI  
STVRMII

Philos. Nat. & Mathem. Prof. Publ.

PRÆSIDIO

RESPONDENTE

JOHANNE DANIELE HAAKIO,  
Nordlingensi Rhæto.

*a. d. 9. April. A. O. R. M DC XCVIII.*

---

ALTDORFI, Literis HENRICI MEYERI, Vniv. Typogr.





PRÆSES  
RESPONDENTI SUO

S. P.



um captum esset à Maxime-Reverendo DN. PARENTE Tuo consilium, Pereximie ac Præstantissime DN. HAACKI, ut ex nostra hac universitate, quam per integrum quadriennium ea frequentasti tum industriâ & sciendi plurima inexplebili aviditate, tum animi vitæq; probitate & modestiâ, quæ hominem vere-studiosum & Philosophiæ melioris cultorem decet, abitum tandem parares, imò justis de causis maturares, neq; tamen consultum videretur, absq; specimine quodam tuorum profectuum (quos majores esse bona fide testari possum, quàm verecundia tua & nimius forte pudor ostentare tibi permittit) publicè edendo te hinc advocari, temporis autem discessui tuo præstituti brevitatis non permetteret, ut proprio Marte argumentum aliquod Philosophicum (quod utiq; præstare facile tibi fuisset) elaborares, ab alio verò elaboratum ut pro tuo venditares, neque Honoratissimo DN. PARENTI tuo dignum homine ingenuo, mihi quoq; cum Patronorum & ipsius Publici magna injuria conjunctum, tibi metipsi deniq; turpe ac debonestamento futurum meritò judicatum esset; placuit tandem, præsentem hanc exercitationem philosophicam, Apologiæ loco, ad-versus imputationes Viri cujusdam Clarissimi, mentem nostram non satis assecuti, baut ita pridem conceptam, publicè respondendo tueri, & quid hu-  
meri



meri tui valeant, quid ferre recusent, Academiae PATRIBUS  
Excellentissimis (quos omnes ac singulos honorificè de te sentire,  
vadem me tibi prædemq; sisto) & Commilitonibus tui amantissimis  
ostendere. Laudabilem hunc tuum conatum cum carmine quo-  
dam, ex more recepto, tibi gratulari deberem (cujusmodi quidem  
ab inexercitatis mei similibus iniquius communiter postulantur)  
malui affectum tibi meum hoc epistolio testari: non solum de præ-  
senti negotio, feliciter indubiè cessuro, toto pectore gratulatus,  
sed etiam ulterioribus tuis studiis ausibusq; divinam porrò gra-  
tiam, itineriq; destinato coelitem sodalitiū & custodiam animi-  
tus apprecatus; neque hac boni testimonii parte te defraudatu-  
rus, quod invitus te dimittam, qui toto hoc plurium annorum  
tempore, quo contubernio convictuque meo usus es, neque me  
meosve ullo modo læseris aut perturba veris, sed parentum loco  
me cum conjuge colueris, liberos autem nostros, ut fratres ac so-  
rores, semper ama veris. Abi igitur bonis, quod ajunt, a vibus,  
aut potius cœlesti stipatus contubernio! Age porro rem omnem  
feliciter, & exple (quod agis huc usque) Parentum Honoratissi-  
morum gaudia! Para te (quod hæcenus fecisti laudabiliter) &  
præsta suo tempore (quod ominabundus auguror) Virum, Patriæ  
Dulcissimæ emolumento ac ornamento maximo futurum! Vive  
deniq; nostri memor, & Vale! Dabam è museo d. 20. Martii,  
A. 1698.

EXER.





EXERCITATIONIS  
PHILOSOPHICÆ  
de  
NATURA SIBI INCASSVM  
VINDICATA,  
CAPVT I.

Quod

*Præfaminis vicem subire possit.*

I.



Rodit anno superiore Liber de Natura bipartitus, Authore GUNTHERO CHRISTOPHORO SCHELHAMMERO in Academia Kiloniensi nunc Medicinæ Prof. P. Primario, Viro Doctissimo; in quo, collectis undique, quæ de Naturæ tum nomine, tum realitate sub illo nomine contenta, ex antiquæ Græciæ Sophis primùm, dein ex recentium Philosophorum Scriptis & assertis congeri poterant, multam utiq; lectionem attestantibus, tandem p. 56. & seqq. nostram quoque de Natura sententiam, è singulari quadam dissertatione nostra *Idoli Naturæ* nomine inscripta & Altdorff I anno 1692. publicè defensa, refert, & postmodum in seqq. capp. præsertim V. examinat & confutat; satis quidem infeliciter, nec sine omni in nos injuria.

II. Primò enim p. 56. mihi cum aliis id affingit, quòd *extrusâ naturâ*, aut quicquid intermedii fingi potest, *divinâ virtute moveri omnia statuere malimus*, quàm aliquid admittere *naturæ nomine*, cuius *ipsius naturam ignoremus*, ipso solo scilicet (quod è pag. 59. manifestum est) eam, præ omnibus omnium seculorum Philosophis, planè pleneque perspectam habente. Similiter pag. sequi 57. me nominatim ait, *ipsum etiam Naturæ nomen imposteum planè deletum velle* &c. &

A

alleg.

alleg. modo p. 59. in sexta & recentissima eorum secta, me quoque vel præcipuè comprehensum voluit procul omni dubio, qui extirpatum sanctum omni antiquitati nomen hodie omnibus modis cupiunt. Quod idem repetit p. 82. dum eam sententiam sibi expendendam sumit, quæ planè abolitum & rejectum cupit Naturæ nomen: quæ non modò nulla omnino sit &c. In his omnibus assertis autem, mihi saltem injuriam fieri, meramq; elenchi ignorationem (ut cum Aristotele loquar) & ἀσολόγισον illationem, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, contineri mox patebit.

III. Imo, cum p. 104. post assertam operosè stabilitamq; naturæ existentiam, ipsam plenius tandem eloquitur, & quantacunq; est, totam dat, quòd nimirum sit æterna illa lex, ex voluntate divina, immutabili pariter & sapientissima orta, ab eaq; promulgat cunctis existentibus in universo, cum primum eadem conderet atq; constitueret, quæ unumquodq; jussum est agere convenienter ad finem; hanc ipsam Divinæ voluntatis legem, atque adeò ipsam Doctissimo Autori sic dictam Naturam, me pridem, & ut credo, ante ipsum, (tametsi non sub hoc naturæ Nomine, cujus novam quodammodo hanc esse acceptionem haut dissimulat) tum agnovisse, tum inculcasse, pariter ex dicendis constabit, adeoq; naturam sibi & Medicis, mei saltem intuitu, incassum ab ipso vindicatam esse, simul evadet manifestum, utpote qui reipsa in agnoscenda illa, quam ipse vocat, natura, penitus consentio.

IV. Ex qua communi nobis utrisq; veritate illam porro meam de virtute Divina sola omnia movente, (exclusa sc. naturâ, non simpliciter tanquam intermedio, sed tanquam agente, & agente quidem illi Virtuti Divinæ contradistincto) sententiam ultrò & infallibiliter consequi, sic demonstraturum dabo, ut videre Clarissimus Autor evidentissimè, si velit, possit, alii saltem à partium studiis alieni certissimè sint visuri, me inter ac ipsum nullum esse, quoad rem ipsam, dissensum, ipsumq; adeò dum me impugnare tanto conatu opereq; laborat, cum umbra sua aut cum alio quocunq; à me diversum omnino sentiente, pugnasse.

V. Quod cum ipsemet cap. V. num. XII. & seq. p. 94. & 95. fateri tantum non coactus fuerit, maluit tamen me inconsideratæ cujusdam negligentia & pudendæ in eadem quasi pagina contradictionis insimulare, quàm apparenter pugnantiã penitus considerare & conciliationis alicujus possibilitatem suspicari; quod facere tamen erga Virum Professore, & per annos quasi triginta in hoc Philosophiæ Naturalis



ralis studio strenuè, nec sine omni cordatiorum laude, currentem, rationalis æquitas omnino postulasset. Certè, de tali viro, quem p. 57. *Experientissimum longeque doctissimum Philosophum, Professore item Celeberrimum, & p. 91. Clarissimum hujus ævi auctorem, Virumque aliquin eruditissimum*, salutare non dubitasti, SCHELHAMMERE, hætenus mihi semper æstumatissime, imò nisi me omnia fallunt, summi etiam Viri appellatione, præter ac ultra omne meum meritum, dignari, eum deinde conceptum, non tantum mente formare, sed formatum publicè quoque profiteri, quòd sua dogmata, quæ, (quod ipse fateris p. 57.) *dissertatione quadam singulari comprehendit, omniq; conatu introducta in Scholas cupit, per negligentiam sibi patiat excidere* (quod p. 94. asseris) quodque unâ eademque dissertatione, aut eadem ejusdem dissertationis paginâ, sibi met ipsi in os contradicat &c. quâ animi moderatione & constantiâ, quo tuo in me affectu, quove meo in te merito aut potueris aut volueris, hætenus ego non capio.

VI. Profectò, si erga me in Christo fratrem eodem affectu, aut si affectus ille defuit, eadem animi æquitate uti voluisses, quâ erga *Stratonem & Hippocratem* homines Ethnicos ac infideles, contra *Lipsum & Lactantium*, usus es Cap. II. Lib. I. p. 43. multò etiam faciliùs ac verius meam de natura DEOq; hypothesin cum tua, vel tuam cum mea, conciliare potuisses, nec opus habuisses, me hominem plusquam sexagenarium, primus quidem quod sciam, orbi literato, tanquam ineptulum suarummet sententiarum ignorantem, ac sibi met ipsi in eodem contextu ridiculè contradicentem, prostituere.

VII. Quod si ergo hæc, quæ hætenus, ut summam deinceps demonstrandorum, nunc proposui opere ipso in sequentibus demonstravero; non postulabo quidem, ut injuriam mihi factam publicè confitearis, sed satis habebò, si tacitus tecum id agnoscas, aut, si ne hoc quidem obtinuerò, alii tamen, à præconceptis opinionibus liberiores, de me meisque hypothesibus rectius æquiusque senserint. Quod si verò, præter omnem spem & expectationem, hæc publica mea & palam facta querela (quam inter nos & privatim effundere maluissem, si per incusationem tuam publicè priùs factam licuisset) fortasse magis exacerbatus, stylum ampliùs acuere, acerbiusque in me stringere mordacem calamum destinaveris: aliam mihi prorsus esse mentem scito, pauculosque, qui per Divinam gratam superesse mihi potuerunt annos, tranquillè quieteq; transigere præoptantem, omni ulterio responso superseden-

sedendum mihi, relicto lectoribus nostris de hoc primo congressu iudicio, mecum firmiter constituisse.

CAP. II.

*Quod Naturam omnem, quovis sensu, nos nunquam negasse, neque nomen ipsum simpliciter extinctum & existirpatum velle, luculenter ostendit.*

I.

**H**OC utrumque ex ipsa illa Dissertatione de Natura, quam Clarissimus Auctor sibi confutandam ex professo sumsit, adeo evidenter elucet, ut mirari satis non possim, oppositum mihi à Viro laudato tam audacter & illimitatè imputari. Ipso primo ejus Dissertationis capite ex Aristotelis Lib. IV. (aliis V.) Metaph. cap. 4. varias vocis Naturæ significationes enarramus, quas, tantum abest ut repudiemus simpliciter omnes, ut in ipso I. cap. §. istam, cujus exemplum cor esse voluerunt Interpretes in animalibus perfectis, rectius tribui judicemus primævo illi nascendorum ex ovulis animalium & seminibus plantarum rudimento, quod in quibusdam ipse sensus & *αὐτοψία*, in cæteris quoque ratio satis evidenter hodie deprehendat.

II. Secundam etiam vocis Naturæ significationem, quam Lib. II. Phys. cap. 1. t. 3. fusiùs exponit Aristoteles, nec abhorremus, nec reprobamus, sed expressis verbis dicimus, ut in artificialibus, e. g. horologiis, internum quoddam principium, unde motus tum interiores rotarum magis absconditi tum exteriores indicum in oculos magis incurrentes proveniant, quod *Artificium* commodè appellemus; Sic in corporibus naturalibus intrinsicum quoddam agnosci principium, à quo non motus solum locales, sed quævis aliæ mutationes, passiones & affectiones profluant, quod *Naturam* appellare, indeque ipsa corpora, *Naturalia* denominare placuerit. Estne hoc negare Naturam esse aliquid, & ipsum Naturæ nomen omni conatu existirpatum velle? Quod si contigeret Viro clarissimo vel videre Physicæ nostræ Conciliatricis Conamina, vel, quæ obiter saltem inspicerent, digna visa fuissent; reperturus fuisset integrum cap. IV. Partis Generalis de Natura in quo hujus definitionem Aristotelicam non solum admittimus, sed & adversus Sperlingii aliorumque cavillationes pro virili defendimus.

III. Ut

III. Ut sequentes vocabuli Naturæ significatûs quos plerosq; approbamus potius quàm respuimus, (ut cum e. c. in §. VIII. cit. cap. I. haud incongrue dicimus, jamdudum aliquos novum inter *Naturam universalem* & *Naturam particularem* discrimen introduxisse &c.) nunc prætermittamus, aliaque multa, quæ huc facere possent (ut e. g. quòd p. 22. *Naturam naturatam* sive corpoream utique agnoscamus) è subsequentibus capp. sicco prætereamus pede; in cap. IV. totius dissertationis quasi cardine, sub ipsum principium, eandem Naturæ naturantis & Naturatæ differentiam (tametsi minus barbaris & scandali minus occultantibus terminis expressam mallems) verbis expressis iterum agnoscamus; deinceps autem à §. V. per seqq. complures, quo sensu & Naturæ nomen, & rei sub illo intellectæ attributas varias proprietates, admitti posse confitemur, e. g. quòd *Naturæ opus sit opus intelligente*, quod generationis negotium *omnium aliorum operum Naturæ admirationem longè superare*, tanquam rectè dictum concedimus; quòd Naturæ universali fugam & evitacionem vacui, sano sensu patiamur attribui, imò particulari quoque naturæ, sive Archeo cæterisque, quæ rem eandem designent, nominibus in humano corpore Medicatrici appellationem & crisin quandam adscribi per nos licere, aperte dicimus; *Naturam* porrò nihil frustra, sed propter finem aliquem semper agere; ut verè dictum, certo modo scilicet, admittimus; *Naturam semper agere id quod est optimum*, ut commodissimè dictum agnoscamus; *Naturam tum universalem, tum particularem sui ipsius conservatricem* sano sensu dici posse non negamus &c. Quibus ita stantibus & sub oculorum conspectu evidenter positis, potestne, rogo cordatos omnes, cordatus aliquis philosophus absque pudore nobis imputare, quòd *naturam omnem extrusam, imò quicquid intermedii fingi potest, negatum malimus, quàm aliquid naturæ nomine admittere?* quodq; ipsum etiam *Naturæ nomen imposterum planè deletum* & omnibus modis extirpatum cupiamus?

IV. At enimverò, Naturam saltem verè proprieq; agentem, certo consilio agentem sapientissimè agentem omnia, & DEO tamen contradistinctam, quæ tanquam DEI vicarius universalis superiori & inferiori mundo, & speciatim illi pusillo corporis humani, omnibusq; in his passim & quotidie obviis effectibus materialibus & corporeis eo modo præsit regendis & gubernandis, quo Fortuna vulgò rebus & actionibus præsit &c. Hanc saltem Naturam, inquam, extrusam, hoc nomen cum universa sua sobole, *Anima Mundi*, puta, *Principio Hylarcbico*,

chico, Calido omnia non permeante solùm, sed intelligente quoq̄, vidente, audiente ac sciente omnia tum presentia tum futura; Spiritu item mundi, Naturâ DEO, Naturâ vacuum solerter multò antè velut è specula futurum prospiciente, Principio plastico, Naturâ Numine sublunari, Matre providâ & sapientissimâ, Naturâ morborum cum aliquâ Crisi & cum iudicio Medicatrice, Archeo plenâ insignito scientiâ, cæterisque corporis humani Rectoribus DEastrorum conceptûs in imperitorum animis parientibus, extirpatum omnibus modis cupimus & radicitus evulsum è Christianorum mentibus? Fatemur hæc & lubentes. Sed estne hoc omnem naturam simpliciter & absolute negare, si talem neges? Estne hoc ipsum Naturæ nomen planè pleneque deletum velle, si, postquam sex, septem, octo ejus significatibus admissis, (tametsi ad evitandas ambiguitates singulis distincta vocabula substitui num. XII. cap. I. exoptaverimus) unum tandem scandalosum & in DEUM (licet præter multorum mentem) injurium respuimus? Quid aliud est ἀγνοια & ἐλέγχος, aut à dicto secundum quid ad dictum simpliciter miserè claudicans illatio, si hoc non est? Quod utique hîc taceri non potuit, quia cum aliqua illius, quem ferire insontem ac nullo suo merito destinaverat, injuria conjuncta est.

V. Dubitat equidem hic Adversarius noster, an unquam alicui in mentem venerit Creatorem cum creatura sic committere, ut tanquam causæ sociæ allegentur, & annon potius subordinatam intellexerint omnes, quos ego tam graviter accusaverim, potestatem? Incautiùs ergo locutos, rectiùs tamen sensisse putat, nec adeò graviter accusandos. Quod si de omnibus, ut ipse quidem, fortassis etiam incautiùs loquitur, intellectum velit, reclamant expressissima Senecæ verba, *Natura nihil sine DEO est, nec DEUS sine Natura, sed idem est uterq̄*; reclamant illa Hippocratis, quibus suo ἡερεμῶ plenam omnium tam præsentium quàm futurorum scientiam adtribuit; reclamat ipsum Autoris testimonium, quo p. 86. Empedoclis antecessores, Naturam, ait, Deum fecisse, & opus habuisse pro opifice, h. e. subordinatum pro summo directore; reclamant denique recentiorum multa, non sanè incautiùs elapsa, sed ex affectu quodam non satis excusando in isthæc Numina, quæ vocant, sublunaria ex gentilium frequenti lectione non advertentibus ingenita superstitiosiusque deinde protrusa. Quæ si vel maximè mitiùs interpretari velimus (id quod fecimus Dissert. nostræ p. 12.) ad eos separatim progressi, qui DEUM à Natura, Creatorem à Mun-

à Mundo, seriò quidem distinguunt, tanquam causam & effectum ut conservatorem & rem conservandam &c. quamdiu scilicet collatione directâ supremum Directorem cum subordinato, quo utitur directionis suæ medio, uno quasi obtutu spectant, & veritatis vi coacti ingens inter utrumque intervallum animadvertunt; mox tamen ubi de Natura sola per occasionem loqui incipiunt, eam vel sub hoc ipso, vel sub aliis nominibus, iis exornant elogiis, iis prædicatis extollunt, quæ soli DEO propria, non solum magnam Sapientiam & sollicitam providentiam, omni loco ac tempore exercitam, sed aliquid etiam Divinitatis (quod ideò Numinis etiam appellationem quasi non advertentibus expressit) evidenter involvunt: In quo ipso profectò implicitam quandam idololatriam agnoscere, nos saltem Evangelicos, non minus necessum est, quàm in Imaginum Sanctorumq; cultu Pontificiorum; qui tamen eò stuporis nequaquam devenerunt, ut immensum illud discrimen inter DEUM & Sanctos mutasq; imagines, (quod interim in præxi magnam partem negligunt) verbis etiam devotissimis non agnoscant.

VI. Mirari verò subit laudatum sæpe virum etiam hinc adversarium mihi esse voluisse, qui tamen, quam ego tuli cap. III. meæ dissertationis, de opinionibus cap. II. recensitis, justam, uti credo, sententiam, in Lib. sui I. cap. IV. & alibi suo calculo omnino confirmat. Nam *Democritum* atque illos, qui ad *Platonem* usq; eum sunt consecuti atque sectati, postea etiam *Epicurum*, ac tandem *Cartesium*, animalium quoque generationem per nieram particularum figuram, motum, pondus &c. explicare ausum, acriter redarguit p. 67, 68, 69. *Platonis* Animam & animalitatem Mundi p. 70. convellit: *Stoicorum*, illam Mundi animam, quam *Plato* à DEO distinxerat, cum ipso DEO confundentium, imò Mundum Deum facientium, intolerandam opinionem, p. 73. 74 gravius perstringit: *Helmontii* Archeum cum totius universi, tum terræ & cunctorum animantium particularem p. 76. explodit: *Bachimii* lucem creatam pro mundi anima venditam, & *Commenii* Spiritum p. 78. & 52. rejicit, & à Doctissimo *Ernstio* Lipsiensi hanc sententiam in ipsis incunabulis jugulatam testatur: *Henrici Mori* Principium Hylarchicum, Mundi quasi Præsidentem necessarium fuisse negat, postquam *Aëris* pressura infinitis experimentis ab Ingeniosissimo *Guerickio*, *Boyleo*, aliisque nimis sit evicta; quo ipso *Sperlingii* aliorumq; Naturam prævisi undecunque vacui sedulam ac providam evitatricem, simul ut vanam & frustraneam necessariò repudiat: P. 79. & præcedd.

cedd. 53. 54. &c. autem hoc ipsum Principium Hylarchicum, & Job. Razi Naturam Plasticam, perinde ut à nobis factum, pluribus argumentis exagitat.

VII In vulgatissima etiam Aristotelis definitione, qua Naturam ut motus & quietis principium consideravit (quo etiam sensu naturam nunquam nos negavimus) id eum intelligere principium docet p. 33. quo materia moveri apta sit; quod non tantum vox *κινῆσαι* liquido ostendat (nec enim *δέχλει* & *κινῆν*, sed & *κινῆσαι*, dicit) sed in ejus philosophia versatis etiam aliunde perspicere in facili sit; siquidem in eo totus & ubique occupetur, ut ostendat nihil moveri à seipso, omnemque adeo materiam ac materiatum omne principio motus activo orbatum esse &c. quæ omnia, cum laudatis ibidem ab ipso viris, Cæsalpino, Sonero &c. dudum ex iisdem Philosophi locis docuimus; id insuper majoris evidentiae gratiâ superaddentes, quod hæc particularis cujusque corporis natura principium sit & *κινῆσαι* simpliciter, ratione materiæ, & *κινῆσαι πῶς*, hoc vel illo modo & non aliter, ratione formæ ac texturæ.

VIII. Communissimum vocis naturæ usum esse dicit pag. 4. cum Universum mundi complexum notat; quo rursus, naturam me negasse, aut innoxium hoc verbum penitus abolitum velle, qui diceret, iniquissimè id diceret. De hac verò Natura eadem omnia utrique sentimus, ea nempe, quæ Sydenhamius in verbis p. 114. citatis, quæ ipsemet verba egregia vocat, quod rem suam mirificè & explicent & confirment: Ego, (sic habent illa verba) quoties Naturam nomino, toties causarum naturalium complexum quendam significari volo, quæ quidem causæ brutæ licet, atq; omni consilio destitutæ, non tamen sine summo consilio reguntur, dum suas quæq; operationes edunt, suosq; exequentur effectus. Nimirum supremum illud Numen, cujus vi producta sunt omnia, & à cujus nutu pendent, infinitâ suâ sapientiâ sic disponit omnia, ut ad opera destinata se certo quodam ordine atq; methodo accingant, neq; frustra quidquam molita, neq; nisi quod optimum est, ac toti rerum Fabricæ, suisq; privatis naturis maximè accommodum, exequentia: perinde atq; automata non pro suo, sed artificis consilio moventur.

IX. Ignoscet igitur Vir Doctissimus, si denuò inculcem, omni procul æquitate ipsum toties in hoc suo de Natura scripto mihi imputasse, quod omnino nullam esse Naturam sentiam, ejusque planè abolitum & rejectum nomen velim, eumq; rogatum hîc qua par est eam modestiâ, ut imposterum aliorum virorum mentem, qui præsertim nullo  
ipsum

ipsum unquam verbulo laeserunt, nec adeò vilia sunt in orbe literato nomina, penitus prius exquirat, quàm calamum in ipsos etiam nominatim stringat. Quid enim prodest adversarios sibi fingere, ut habeas in quibus confutandis ingenium & eloquentiam ostentes? Aut, si hic Viro Doctissimo scopus non fuit, quàm præstaret, animo conciliandi potius quàm refutandi legere, illorum præsertim scripta, quibuscum in quamplurimis, iisque fundamentalibus, dogmatibus idem planè sentias, adeoque junctâ operâ Veritatis Philosophicæ incrementa non parum promoverè queas. Observavi perlegendo hoc ejus eruditum de Natura opus, cum e. g. ad mentem Aristotelis formam agnovisse non novam substantiam, sed substantiarum modum p. 15. & 35: Materiam & materiata omnia principio motûs activo orbata esse, p. 31: Antiquissimorum Philosophorum longè alias fuisse sententias circa res naturales, quàm tradidit Aristoteles p. 60. & seqq: è Scriptura S. res naturales & controversias de istis definire velle, ipsius fini ac intentioni repugnare, p. 77: Essentias rerum in occulto nequaquam esse, cum multa hodie ex similitudine rerum mechanicarum optimè explanentur, nec de reliquis desperandum &c. p. 112: Longè alias, h. e. artificiosissimas, quas assequi humanum ingenium condignè nunquam poterit, esse machinulas omnipotentis & sapientissimi conditoris, quàm artificum, nec aliud nos agere, dum naturam scrutamur, quàm illud, ut assequamur corporum configurationes & compositiones intimas, quibus leges naturæ sic exequantur, ut effectus prodeat. p. 121 & 122. Corpuscularem Philosophiam meritò plerosq; hodie profiteri, at post figuras corpusculorum omnino adhuc aliud requiri quod eas faciat agere ut agunt &c. p. 125. Pietati non minus quàm veritati longè magis consentaneum esse, consilio, h. e. Divinæ Sapientiæ partium mundi particularumq; figuras attribuere, p. 127: Naturam quandam esse universalem quæ toti mundo sit communis, & cunctis corporibus naturalibus propriam esse naturam & suam, p. 136: Supremam & immensam illam sapientiam nobis lumen de lumine suo concessisse, atque ita indidisse, ut etiam post lapsum hominis fatalem, secus ac multis est hodie persuasum, superstes sit, quo ejus beneficio queamus indagare vias suas, imperfectè licet, tamen quantum satis est nobis ad contemplationem eorum, quæ, ut de se suaq; illa immensa bonitate testimonium perhiberent, nobis ante oculos, tanquam nobilissimam vitæ, otiosæ aliàs vel profanæ, occupationem exposuerit. p. 139. Item sequi. 140: Propriam hominis, quæ homo est, sibi relictæ, occupatio-

B

nem

nem esse contemplationem naturæ, & hinc meditationem de ejusdem Auctore, omnipotenti DEO; ad quam divertat jure, quisquis ab officio suo & necessariis vitæ vacare potest: nec efficacius quicquam ad pietatem vel generandam, vel excolendam ac conservandam, post sacrarum literarum & historiæ sacræ profanæq; lectionem rectè institutam reperiri: Contra naturam hujus aut illius corporis naturalis quædam contingere rectè putari, at non contra naturam universam, p. 149: Astrorum (remotiorum scil.) influxum ex veræ sapientiæ limitibus dudum exulare, p. 153. &c. &c. Quæ omnia cum meis cogitatis apprime consentiunt, & passim à me publicè privatimq; voce & scripto inculcantur: Ut illa taceam, quæ superioribus hoc ipso capite numeris me cum eruditissimo Viro communia habere, passim ostendi, & quæ porro in seqq. ad ipsius omnino mentem me dudum docuisse sum ostensurus: illud præsertim palmarium & ad præsens præcipuè spectans, quòd illam ipsam, quam ipse vocat, & cap. V. nominatim p. 104. nobis describit & inculcat, Naturam, lubens promptusq; agnoscam, & in scriptis meis (licet non sub hoc naturæ, sed sub altero legum divinarum nomine) dudum professus sim; id quod è sequenti capite plenius elucescet.

### CAP. III.

*Quo id, quod num. III. cap. I. asserui, eam nimirum naturam, quam Author cap. V. esse probat, & quid sit plenius tandem eloquitur, neq; negasse me unquam, neq; hoc sensu naturæ nomen abolitum voluisse, luculenter evincitur.*

R.

„ **N**atura est, inquit p. 104. æterna illa lex, ex voluntate divina  
 „ immutabili pariter & sapientissima orta, ab eaque promulgata  
 „ cunctis existentibus in universo, cum primùm eadem conderet  
 „ atque constitueret, qua unum quodque jussum est agere convenien-  
 „ ter ad finem. Agnosco, inquam, hanc legem Divinam, & agnovi-  
 „ pridem, cum omnibus qui de natura cognoscenda fuere solliciti; &  
 „ quando hanc æternam & immutabilem DEI legem, cum sapientissimo  
 „ Lipsio Lib. II. Manud. Dissert. XVI, Naturam illam communem appel-  
 „ lare placuit Viro Clarissimo, & si in actionibus singulorum spectetur,  
 „ Natu-



*Natura legem salutare*; non repudio ne hanc quidem vocis significationem, imò rationem quoque dictæ legis adjectam admitto: Cum omnia finis alicujus gratia sint, consequi, ut apta quoque ad eos fines fabricata sint. Sed frustra sane id quoque futurum, nisi sit, quod impellat, cogatq; agere eo modo quo agere oporteat, contineatq; ex adverso, ne agant intempestivè, aut immoderatiùs vehementiusq; quàm necesse sit, aut non stato ratoq; tempore moveantur.

II. Hujus universalis legis partes aliquas specialiores in *Conaminibus Physicæ Conciliatricis*, ante hos annos tredecim recensui, p. 90. & 91. concludens, cum nihil potuerit nuda & informis materia, nisi pati atque adeò moveri, ac mediante motu in varias illas hujus universi formas disponi ac distribui, omnem illum motum ipsi primitus impressum non aliunde quàm à DEO ipso immediatè provenisse & hodiernum conservari, ita quidem ut verosimiliter tantundem semper motus in universa natura sit, hac gemina tamen lege ejusdem primi motoris arbitrio liberrimo lata; prout equidem ipsorum Phenomenorum collatio nos cogat judicare: (1) *Ut, quoties unum corpus suo motu in aliud impingeret, in hoc partem sui motus transfunderet, ipsum interea tantundem amittens*; (2) *Ut in corporis nostri microcosmo, rectè se habentibus omnibus, ad nutum mentis ipsi conjuncta, moverentur, aut veriùs jam mota determinarentur corpuscula quedam subtiliora, ut hisce mediantibus muscoli, ab his partes aliæ & artus, ac totum deniq; corpus, locales mutationes varias subirent.*

III. Alia illius legis universalis portio (3) censetur ibid. p. 93. *Ut, quantum motus unaqueq; pars materiae semel recepit (sive primitus ab ipso motore primo, immediato jussu scilicet, sive deinceps per communicationem ab aliis, aut per alia rectius, vi memoratæ legis primæ factam) tantundem ea servet ac in illo suo statu maneat, donec aliarum occurso, ejusdem æternæ legis virtute, inde rursus deturbetur*: Et hinc recepti semel impetus continuationem esse petendam &c. Additur (4) alia p. 95. *ut unaqueq; materiae pars recepto motu affectet semper viam rectam, tanquam brevissimam omnium ac naturalissimam*; quam ex ea observatione verosimiliter collegimus, quâ violenter in orbem acta, postquam dimissa fuerint, ut lapis ex funda, secundum rectam lineam excurrere deprehendimus; tametsi, rursus virtute illius æternæ legis, aliorum corporum occurso inde deflectere plerumque cogantur. Ex quo (5) sua sponte fluere ostendimus, tanquam dictarum legum confectarium, antiquissimis Philosophis dudum notam, nec in Cartesiano-

fianorum Scholis demum natam, *κίνησιν* sive *Circulationem corporum*; siquidem, ubi plena sunt omnia, moveri nihil posse clarè concipitur, nisi cedentibus sibi invicem pluribus aliis, quorum ultimum demum primi locum occupet; Aristotele quoque, cum Platone, ejus rei veritatem apertis verbis contestato. Lib. IV. Phys. cap. X. t. 62.

IV. Pluribus hæc persecuti sumus in Physica nostra Electiva seu Hypothetica, quam videre nondum, credo, contigerat Antagonistæ nostro, cum ista quæ cap. I. narravimus adversum nos ederet, saltem cum ea scriberet. Ibi p. 164. primam quam supra num. II. supposuimus legem, paulò plenius ita concepimus. *Ut, quoties una materiæ portio in aliam, aut corpus unum in aliud, recepto à summo Motore impetu, impingeret, hoc etiam inciperet moveri & quidem pro ratione impactionis, & impingentis mole, magis aut minus; ita quidem ut impactum tantundem motionis amitteret, quantum recepit alterum.* Secundam verò Legem universalem motuum in hoc universo ex ipsius beneplacito futurorum, p. 173. in fine hanc alteram tulisse: *Ut volente hominis mente, & exoptante hunc vel illum effectum, ope vel interventu corporis sui expediendum, ii evenirent in corporeis organis motus & spirituum animalium determinationes, quæ ad effectum illum producendum ex Lege prima superius investigata requiruntur.*

V. Patet, opinior, ex allegatis, quemadmodum Aristoteles, Vir utique non stupidus sed sapientissimus, quemque cum cura etiam legere ideo dignatus sum, quæ hodie de primo & solo motore, itemque divina virtute per cuncta meante jactantur, docuit (ponamus) omnia, naturam tamen nihilominus admisit, & ab ea distinctam agnovit; ita me saltem hac in parte nihilo stupidior, nec fortasse penitus insipientem, dum solum & unicum Motorem DEUM jacto ejusque unius virtute totum regi, cieri, & gubernari mundum assero, naturam tamen, & illam ipsam, quam Author noster agnoscendam propinat & amplectendam, nec ab ullo vel veterum vel recentiorum nisi à se solo plenè agnitam p. 59. haut obscure profitetur, admittere & amplecti; nec aliam (quod iterum inculcandum est) è Christianorum mentibus eradicatorum ac nominatenus etiam abolitam velle, nisi eam, quæ ut ens providum, sapientissimum, & veluti Præses Universitatis concipitur & indirectè saltem colitur, qualemq; ipse negandam p. 119. lubens concedit.

VI. At verò quemquam tale ens agnovisse vix posse ostendi iterum iterumque asserit, etsi minus cautè locuti sint nonnulli rerum natura-

turalium Scriptōres, quod non laudare se sed potius in superiori-  
 bus (p. nempe 48.) improbasse constet: Excusandos igitur non  
 accusandos esse. Cur igitur alibi (nimirum alleg. modo loco)  
 ipsemet fateris hac in re ipsos minimè excusandos esse, quod nimi-  
 rum admirati vim & præstantiam Naturæ in operationibus na-  
 turalibus, tanquam aliquid supra humanas vires (addis quasi in pa-  
 renthesi, quod tamen non agnoscebant, quorum verborum sensum,  
 fateor, non satis capio) iis usi sint loquendi modis, quibus & contem-  
 tui Philosophorum & reprehensionibus recentibus, ac si Idoli in-  
 modum eam venerarentur, ansam præbuerint: DEUM & Naturam,  
 tanquam concurrentes essent causæ, jungentes, hanc matrem sapien-  
 tissimam & providam deprædicantes, abhorrere vacuum, nihil fru-  
 stra agere, & qui sint similes loquendi modi licentiosiores? Cur, in-  
 quam, hac in re minimè excusandi sunt? Non decet, inquis, Philoso-  
 phos Oratorum phaleris & flosculis inanibus uti, aut verbis ludere,  
 sed rem dicere, nec quicquam est ineptius aut dignius reprehensio-  
 ne, quàm in rebus ex se difficillimis exponendis obscuro & involuto  
 tenebris sermone uti, quo vel magis involvatur vel pravis concepti-  
 bus corrumpatur pronum sponte ad lapsum humanum ingenium.  
 Et quamvis facile quisque videat, viros eruditos, probos & bene in-  
 structos non id voluisse, quod exinde posset extorqueri, cautiùs ta-  
 men loqui par erat, & vel cavillandi artem sic præscindere.

VII. Sed enim, quoad rem ipsam saltem, si non quoad loquendi  
 modos duriores, eos, qui talibus utuntur, excusandos dicet, nec reji-  
 cimus hanc utriusque loci, aliàs in terminis sibi contradicturorum,  
 conciliationem. Verùm nusquam accusavimus Viros eruditos &  
 probos, quod reipsa & explicitè Naturam suam Creatori æquiparent,  
 aut huic debitam sibi uni gloriam, quam ipsemet alteri se concessurum  
 seriò negavit, præfractè ac destinata operâ ereptam velint; diximus  
 enim expressis verbis num. VI. cap. II. nostræ Dissert. (posteaquam in  
 antecess. Epicuri, Spinosæ similisq; farinae hominum intolerabiles  
 planè sententias enarravimus: Sed ad eos nunc veniendum est, qui  
 DEUM à Natura, Creatorem à Mundo seriò quidem distinguunt, tan-  
 quam causam & effectum, ut conservatorem & rem conservandam &c.  
 Sed in duriores & Christiano homine indignas locutiones & inconsi-  
 deratas expressiones, quas ineptas ac reprehensione dignas, quibusque  
 pravis conceptibus humanum ingenium, alioqui-pronum sponte ad  
 lapsum, corrumpi, non potuit diffiteri Schelhammerus, quæ denique in



is ipsis, qui ejusmodi hyperbolicis de Naturæ Sapiencia, præscientia, & providentia, toties ac tam emphaticè utuntur, aliquam conceptuum pravitatem arguunt (cur enim enti, quod scientiâ, providentiâ & præscientiâ destitutum sincerè crederent, aut saltem tum cum talia loquuntur cogitarent, ea tribuerent, quæ soli DEO convenire scire poterant ac debebant, & consequenter nulli alii adtribuere unquam tenebantur?) in has, inquam, invecti fuimus, utque impostero ab iis abstinere ii, quibus hucusque familiares fuerunt, seriò dehortati, nec immeritò, ut credimus; quandoquidem in Pontificios haut immeritò invehimur, quando B. Mariæ Virgini ea tribuunt elogia, quæ Christi gloriæ derogare haut iniquè judicamus, etiamsi hoc sibi propositum esse non ipsi solùm negent, sed è nostratibus etiam cordatiores haut inviti, credo, concedent, eos hoc præpostero extollendæ B. Matris modo honori gloriæq; Filii velificari velle. Et si maximè in istis hyperbolicis Naturæ encomiis quorundam Peripateticorum culpandis modum ex pio quodam zelo excessissemus, annon nos etiam excusationem potius quàm accusationem merebamur, & talem quidem accusationem, quâ in Lectoris derisionem & contemptum haut obscure adducimur, dum toties in hoc Authoris scripto dicimur Naturam negare (adducto etiam p. 3. & p. 28. ad majorem procul dubio nobis conciliandam invidiam, gemino Aristotelis loco, ex eod. cap. I. Lib. II. t. 6.) quod salvâ veritate nec de nobis, nec de ullo alio qui mentis suæ compos sit, dici à quoquam posse ex hætenus dictis evidentissimum est.

VIII. Quod si ergo Naturam agnoscis, inquires, & illam præsertim Universalem Summi Numinis legem, quam antea jam passim inculcatam p. 104. plenius elocuti sumus, sub Naturæ nomine admittis; cur ergo non mediante Naturâ, h. e. mediante hac suâ lege semel latâ, potius operari DEUM, quàm ipsum solum suaque sola virtute omnia immediatè operari statuis? Respondeo: Utrumq; me dicere, & utrumque verum esse. Nimirum, quod superius ex p. 140. jam laudavimus, cum propriam esse hominis, quâ homo est, occupationem voluerit naturæ contemplationem, suprema illa & immensa Sapiencia, ideò hæc Naturæ suæ Visibilia ante oculos nobis posuit, ut de se suaq; immensa bonitate cæterisq; suis Invisibilibus, τῆν αἰδιῶ αὐτῆς δυνάμιν καὶ θεότην, testimonium perhiberent; non eo modo, quem Vir Optimus nobis, nequaquam, ut speramus, ex malitia, sed deproperato quodam de nostra mente nondum satis (quod fieri tamen facile potuisset) per-

perspecta, iudicio per totum suum tractatum, perpetua quadam  
 ἡ ἐλέγχῃ ἀγνοίας, adtribuit: id quod è sequenti capite ipso Sole  
 clarius elucescet.

CAP. IV.

*Quod mentem nostram de DEO, Naturæ uti  
 solo & unico Conditore, sic Rectore quoq; & Motore, sua so-  
 lius virtute omnia, quæ Natura agere & operari vulgò aicitur,  
 in ipsa & per ipsam operante, plenius ac  
 dilucidius exponet.*

I.

Cum cap. V. num. VIII. p. 90. hanc ipsam nostram mentem ite-  
 rum prolixè, sed perverse, uti superius dicta demonstrant, ex-  
 posuisset, & sub finem illius numeri, expositurum se dixisset illa  
 quæ se impellant argumenta, ut ab hac prima specie pia sententia mo-  
 destè dissentiat, mox verò nos, addidisset, non dubitare omnes qui ali-  
 ter sentiunt, impietatis reos agere, (quod equidem ne specie quidem  
 prima pium foret, nec à nobis, quod spero, unquam factum est, &  
 si factum esse, hac quidem mente & verbis, ita duris probari posset,  
 horum precari hinc publicè veniam nulli erubesceremus) sequenti tan-  
 dem num. IX. hoc se excusaturus crimine, primùm quidem confitemur  
 inquit, ac testamur candide, Omnipotenti DEI manu facta nos credere  
 temporum seculorumq; principio omnia, per τὸ ἐν τὸν illud ipsi coævum,  
 hoc est æternum; Eoq; ipso conservari etiam universam hanc rerum Na-  
 turam, atiq; nulli dubitamus: Deinde & mundum hunc aspectabilem  
 omnem, ex corporibus confluisse & esse constitutum, quæ nihil nisi ma-  
 chine sint mere, & illæ quidem brutæ & inertes: Divina porro poten-  
 tia easdem motas & directas in finem quasq; suum, non imus inficias.  
 Hoc autem non modo semel factum, sed etiam nunc fieri, & quidem ab  
 eodem immediate, & eo modo in singulis, quo lignarius bipennem im-  
 pellit, aut molitor dirigit molam, & vel immittit vel suspendit aquas  
 & arcet, prout hoc clarissimus quidam huius ævi auctor vult nobis per-  
 suasum, hoc verò admitti plane non posse existimamus, idq; ipsum non  
 modo indignum putamus tanta Majestate, sed ipsis etiam piis de san-  
 ctissimo & omnipotenti Numine conceptibus protenus adversari.

II. Dispe-



II. Dispeream, si mihi unquam alia mens quàm hæc ipsa fuit! & si Vir Optimus non cum umbris pugnat, dum me (quem per illum auctorem clarissimum intelligit) ferire sese opinatur. Id verò, ut in ipsa solis luce ponatur, legantur, oro, paulò attentius & sepositis tantisper præconceptis de me opinionibus, ea quæ p. 92. sive num IX. cap. IX. Conam. Phys. Conciliatricis, enarratis num. anteced. iis primi motoris legibus, quas num. IV. præced. in præsentis Exercit. cap. III. verbotenus repetivimus, immediatè subjecimus, Sic certè, inferentes, uti causam motus de novo producendi aliam quam DEUM ipsum (vi sc. istarum suarum legum semel latarum, quod mox expressis verbis dicitur) agnoscere non possumus; ita necessum haut erit in quibuslibet communicationibus aut determinationibus motuum & actionibus peculiaribus, DEUM ipsum, tanquam immediatè motum quemvis in individuo (NB.) de novo (nunc demum, & sine omni medio corporeo) producentem allegare: & causam tamen habebimus sufficientissimam, id omne, quod vel nobis boni ex motu corporis nostri, obtingit, ipsi DEO Summo Motori ita acceptum referendi, ac si immediatè singulos illos motus (de novo ac tum demum cum fiunt) produxisset, qui (NB.) vi æternæ ejus legis sunt consecuti.

III. Si hæc satis clara nondum sunt (nec enim dissimulabo, dum in hoc compendiolo multa paucis complecti ubique annisus sum, nonnunquam brevitatis studio factum esse obscurum) jungantur his quæ in Physica Electiva p. 164. eidem illi æternæ legi iteratò inculcatæ subjecimus, eadem fere verbotenus cum modo allegatis, nisi quòd asserti ratio distinctius & explicatius addita sit in his verbis: *Que lex semel lata, quoniam ab infinita voluntate promanavit, infinita quoque est, in omnia loca, corpora & tempora efficacæ, ut necessum haut sit, in quibuslibet communicationibus aut determinationibus motuum effectibusque peculiaribus, ita DEUM, ut motorem allegare, quasi motum quemvis in individuo de novo produceret &c.* Nimirum hoc volumus: DEUM, cum Materiam aliquam existere infinita suâ voluntate jussisset, simul uno volitionis actu eam moveri, atque ita moveri, generali quadam quasi lege latâ, voluisse, ut hujus virtute omnes deinceps rerum formæ, suis quæque finibus ab ipso solo præstitutis, aptæ & accommodæ prodirent, ad eosdem actu consequendos, omni loco, & tempore, positis ubique requisitis & conditionibus, quibus eadem liberrima volitio seipsam alligaverat, sic impellerentur, ut non possent non consequi, nec tamen opus esset, ut, quoties hodie talis vel  
talis

talis effectus in hoc mundo contingit, novo aliquo DEI jussu, novâ volitione, nedum novo aliquo conatu aut laborioso quodam negotio, cum negotiosi nihil in eo concipi unquam debeat, cujus solum velle est omnia posse & actu ipso operari, & unica conditionata volitio ad omnes omnium seculorum effectus, mundumq; adeò totum, mediantibus ejus partibus & organis mere passive se habentibus, regendum, ad innumerabiles fines dirigendum &c. sufficientissima.

IV. Cadent ita sua sponte, quæ mihi imputat Vir clarissimus in verbis num. I. hujus allegatis; quasi sc. statuerem, illas mundi machinas, quas ipse brutas ac inertes confitetur, divina potentiâ motas ac directas in finem quasq; suum, non semel & uno jussu, in omnia futura tempora valente, sed etiam nunc, quasi novo ac toties iterando jussu, quoties actu ipso in istos fines aguntur ac moventur, agi & moveri: in quo mihi fieri injuriam ex dictis patet. Multò magis autem de facta mihi injuria conqueri possum, dum mox adjungit *eo modo me in singulis DEUM moventem concipere, quo lignarius bipennem impellit, aut molitor dirigit molam, & vel immittit vel suspendit aquas & arcet.* Nam cap. IV. meæ Dissert. de Naturæ Idolo, num. III. (ex quo voculas istas duas *eodem modo*, captavit, ad ægrè faciendum aut invidiam creandam famæ meæ) palam est non alium esse scopum, quàm ut docerem (1) si securim à lignatore elevatam adactam, impulsam, in lignum agere (rectius & verius agi) lignum findere, secare diceremus, per nos etiam præconceptis hominum opinionibus, morique loquendi recepto concedi quodammodo posse, agere quoque & efficere quædam creaturas corporeas, nullâ tamen suâ, sed solâ illâ divinâ virtute, vi legis illius universalis in ipsis & per ipsas ubique operante; quandoquidem hæ non aliter, ac securis, aut alia quædam artificiosior machina, moveri quidem, & pro diversitate formarum suarum diversimodè moveri aptæ, movere verò planè nesciæ, effectus suos nunquam præstarent, nisi virtute illius legis, h. e. voluntatis divinæ, atque adeò ipsius DEI, uti securis virtute lignatoris (quam interim hîc supponimus) ad istos producendos adigerentur; huc unice tendentibus istis voculis, *eodem modo*, in alium crassiorum sensum non nisi injustissimè detorquendis. (2) Ut monerem, si non nisi duriusculè securim findere lignum & molitorem frumenta molere, dicamus, quia securis acies, durities, pondus, & rigiditas multum etiam ad fissionis effectum conferunt, à lignatore tamen non dependentia; itemque aquæ fluxus, molarium lapidum gravitas, ligni, quod rotis materiam præbuit, durities ac tenacitas &c.

tas &c. (quæ naturæ potius aut opificibus aliis, quàm molitori debentur) magnam effectûs partem sibi meritò adtribuunt: durius multo videri debere, si creaturis corporeis agendi quandam potentiam adscribamus, quæ tamen ad effectûs producendos nihil omnino conferunt, quod non ab eadem illa lege & voluntate generali in solidum dependeat.

V. Frustrà igitur nobis quidem p. 103. objiciuntur, quod absurdum sit negare, purgantia movere alvum, incidentia promovere urinam, aperientia semovere incidendo crassiores & concretas sanguinis particulas. Quis enim hoc negaverit, eo præsertim sensu, quo in vulgari loquendi modo profertur & à nobis dudum concessum est. Dantur ergo præter DEUM quæ movent, sed æquivocè, cum Deus „ activè moveat, illa autem mota moveant, h. e. non tam moveant, „ quàm unà cum alio ab eadem virtute verè-movente moveantur. „ Fatetur equidem iterum Autor, Naturam Aristoteli esse principium, „ secundum quod omnia moveri apta sunt: inditâ illâ vi non ενεργη- „ τικῇ à priori (sic enim movere non moveri oporteret) & tamen „ ενεργητικῇ à posteriori, siquidem quod movere aliud aptum est, ab „ alio motum prius, tali pollere rectè dicitur: rectè, addo ego, dicitur, vulgari loquendi modo, quem licet ortum ex ignorantia veræ motûs causæ, haut temerè mutare debemus, juxta illud tritum, *Loquendum est cum vulgo, sed sapiendum cum Philosophis*; minus rectè in sensu Philosophico, quem Aristoteles expressissimis verbis nos docuit Lib. II. de An. cap. XI. t. 115. ubi negat clypeum percussisse eum qui per clypeum vel ipso mediante percussus est, ἡ γὰρ ἡ ἀσπίς πληγείσει ἐπάταξεν, inquiens, ἀλλ' ἀμφω σωέθη πληγῆναι. h. e. Non enim clypeus percussus percussit, sed accidit ut ambo percuterentur. Et VIII. Phys. cap. V. sub initium ἀμφω δὴ κινεῖν Φαυδῶ (nempe & baculum quo movetur lapis, & manum quæ baculum & hoc mediante lapidem movet) καὶ τὸ τελευταῖον (baculum) καὶ τὸ πρῶτον τῶν κινῶντων; (nempe manum) (NB.) ἀλλὰ μάλλον τὸ πρῶτον· ἐκείνο γὰρ κινεῖ τὸ τελευταῖον; ἀλλ' ἔτι τὸ πρῶτον. καὶ ἄνευ μὲν τῆς πρώτης, τὸ τελευταῖον ἔκινῃσι. Ἐκείνο δ' ἄνευ τῆς πρώτης οἷον ἡ βακτηρία ἔκινῃσι, μὴ κινῶνται τῆς ἀνθρώπου. h. e. Interprete Pacio, *Utrumque igitur movere dicimus, & quod est postremum, & quod est primum inter moventia: sed magis quod est primum; quippe quod movet postremum, sed ab eo non movetur. Et sine primo quidem postremum non movebit;*



bit; illud autem sine hoc movebit: ut baculus non movebit, nisi homo moveat. Videantur multò plura hujusmodi loca verbotenus à nobis adducta in Phys. Electiva seu Hypothetica p. 131. usque ad 134. inclusivè, & passim in sequentibus; è quibus manifestissimè elucet, Aristotelem communem quidem loquendi morem, quo corpora aliunde mota movere dicimus, servare voluisse (ἀμφω δὴ κινῆν, Φαμεν) sed quoad rem ipsam non aliam vim ἐνεργητικῶν in corporibus motis agnovisse, quam ipsam primi moventis virtutem, quâ & id quod primo motum est, & id quod hoc mediante movetur unâ impellantur (ἀμφω σωῆσθαι ἀληθῆναι) ut, si prius respectu posterioris tanquam movens velimus concipere, (id quod non licitè solùm, sed prudenter, fieri p. 165. Phys. Elect. pluribus ac distinctè docuimus) non alio sensu id dicere debeamus, quàm quòd moveat virtute moventis primi (nullâ suâ huic contradistinctâ) quæ sc. & ipsum moverit, & simul sufficiens sit per ipsum etiam secundum & tertium, atque adeò totum reliquum mundum movendi.

VI. Et hoc est illud, quod ubique inculcamus ubi DEUM immediatè movere dicimus, non eo sensu, quasi immediatè ante effectum quemq; actu secuturum omnipotens suum jussum repetere de novo necessum habeat, neque quòd unis corporibus non utatur tanquam mediis ad movendum alia, neque quòd ejusmodi mediolorum formis ac texturis ad sic potius quàm aliter movendum non utatur illa olim lata & in omnia tempora, loca, operandi modos &c. sese exporrigens sive lex, sive voluntas; sed quòd hujus unius efficacia & virtute, nullâ aliâ uspiam interveniente, peragantur omnia: id quod profectò ex ipsa natura illius legis universalis & immutabilis suâ sponte fluit. Etenim ut jam nihil dicam de distinctione legis in intellectam & insitam p. 125. & seqq. quæ quæsitæ ad thesin defendendam, non oblata in rebus ipsis jure videtur; cum intelligi ab iis quæ sensibus & ratione destituuntur, ipso fatente, non possint, ideoque insitas esse concluditur; velim distinctè & imaginabiliter explicari mihi modum, quo lex ejusmodi insita in corporibus ejus legis penitus ignaris operari eaque ad agendum determinare possit, nisi ipsa lex sive jussus & volitio generalis infinitâ suâ efficaciam ista corpora impellat & ad præfixum scopum dirigat, agat, cogat, ut, dum sic acta, mota & impulsa absolutè, & in alia proxima acta & impulsa verè proprieque, deinde respectivè in hæc egisse & abusivè movisse dicuntur, nihilominus interim non potuerint non age-



ro ad illam præscriptam seu insitam legem (quod iterum confitetur) adeoque effecta omnia vi & virtute illius jussûs Divini potentissimi unice & immediatè consequantur.

VII. Quod si fortè vel Antagonista noster, vel aliquis alius existimaret, per insitam illam, quam vocant, legem, activam quandam movendi proprièq; agendi potentiam corporibus communicari; ex abundanti hîc ostendam, ne capacem quidem esse substantiam corpoream potentiæ alicujus activè-motricis recipiendæ, imò ne in spiritualem quidem finitam cadere posse potentiam activè movendi; idque gemino argumento: quorum alterum à natura ipsius corporis & materiæ, alterum ab ipsa motûs natura desumptum, in Phys. Electivæ cap. II. ejusq; Epilogo, & cap. IV. Epicrisi num. III. p. 159. & seqq. prolixius deducta, hîc in compendium cogenda sunt. Primò igitur simplicem istam seu communem omnium corporum naturalium materiam substantiam esse naturâ suâ passivam, omnes omnium, alioqui circa hanc dissentientium, hypotheses egregiè confirmant, nec veriùs aut clariùs Aristoteles quicquam unquam dixit, quàm quod II. de Gen. & corrupt. cap. 9. his legitur verbis: *Τῆς γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι τὸ δὲ κινεῖν καὶ τὸ ποιεῖν ἐτέρας διωόμεως* &c. h. e. *Materia enim est pati & moveri: Movere autem & facere est alterius potentia;* id quod non solum de prima, sed etiam de quavis secunda indubium esse, omnes artificum officinæ loquuntur. Jam si materia suâ naturâ passiva est substantia, non magis ea capax erit activæ cujusdam potentiæ, quàm lapis est capax vitalitatis aut potentiæ ratiocinandi; quandoquidem DEUS qui lapidem voluit esse lapidem, h. e. vitâ & ratiocinandi facultate destitutum, nunquam volet ipsum, quâmdiu lapis est, simul vitalem esse & rationalem, h. e. non-lapidem; atque ita similiter, dum materiam voluit esse substantiam essentialiter passivam, nunquam volet illam esse materiam, & tamen sui ipsius motricem aut agendi potentiâ præditam. Et cum porrò, passivam illam materiæ potentiam in actum deducendo, h. e. ejus partes & minutias (quas ipsa vel dividendo suam ipsius continuitatem, vel actu jam divisas procreando, efficere non potuit) variè transponendo, colligendo, connectendo, agitando, disponendo &c. (quod certè ab ipsa fieri haut potuit, nec ut posset juberi, quia hic jussus Divina debuisse esse volitio, cujus efficaciam materia propiùs & immediatiùs ipsa moveri, dividi &c. quàm per ambages juberi poterat, ut seipsam moveret, divideret &c. quòd absolutè impossibile esse gentilis etiam Philosophus pridem

pridem agnovit) cūm, inquam, hinc formarum diversitas necessariò exorta sit, istæque formæ nihil aliud quàm materiæ modi & accidentia sint; non poterit sanè credi, his materiæ modificationibus, quæ non ὄντων, sed ὄντων tantūm aliquid sunt, Aristotele rursūm teste, magis competere virtutem aliquam verè - activam & operativam, quàm earum substantiali realiq; subjecto; sed, uti materia adhuc informis non aliam habet aptitudinem quàm ut absolute & simpliciter moveatur, sic formarum & modificationum varietatem eam ipsi aptitudinem conciliare, ut variis modis ad edendos varios effectūs moveatur: ut consequenter nec ipsis corporibus naturalibus, ex materia formisque, merè passivè se habentibus, compositis (quicquid reclament præconceptæ & à pueris imbibitæ opiniones) ullam veram actionem aut efficientiam, nedum providentiam, attribui rigor philosophicus patiatur.

VIII. Deinde, si in Motūs ipsius naturam (cujus explicandæ summam difficultatem non solūm recentiorum Physicorum acutissimos, *Stairium, Hamelium, P. de Lanis, P. Fabri, Borellum &c.* agnoscere, sed *Aristotelem* etiam jam olim agnovisse, p. 160. & sequ. *Phys. Electivæ* fusiùs ostendimus) altiùs inquiramus, excussis variis variorum sententiis, id tandem ut evidentissimum, insimulque genuinam commemoratæ difficultatis rationem esse deprehendimus, quòd *Motus localis* non sit res aliqua peculiaris, sed corporum affectio tantūm & existendi modus aliquis, nimirum (ut verbo me expediam) *successiva quædam rei mota in diversis locis existentia*, quæ non agnoscat causam aliquam sui efficientem verè - physicam & ex necessitate agentem (id quod laudati suprà Viri Celeberrimi jam ante nos haut obscure agnoverunt) sed exigentiam tantūm, ut ipsi loquuntur, h. e. si propriè magis, ut intelligamur, loqui velimus, jubentem, ex mero beneplacito volentem; quam equidem aliam esse non posse, quam Voluntatem DEI illa æternâ & immutabili lege, quam Viro Clarissimo Naturam appellare placuit, expressam, ut absolutè - liberrimam, ita cum infinita potentia & potestate conjunctam, nunc aliquantò pressius ostendemus.

IX. Scilicet, ut existeret aliqua materia, & nullâ præexistente aliâ existeret, id Numinis alicujus aut Substantiæ incorporeæ voluntati potentissimæ deberi, apud saniores Philosophiæ cultores in confesso est. Nec illud etiam dubium esse cuiquam potest, ut eadem materia per infinita temporis præteriti momenta jugiter existeret, hodieque, & in futuri quoque temporis innumerabilia momenta existere

pergat, id minori saltem potentia tribui non posse; cum facere aliquid existere infinitis quasi temporum momentis, sit quiddam infinitis majus, quam facere quiddam semel vel ad unum momentum existere. Quidni igitur agnoscimus, alterum quoque illum existentia modum, quo materiam aut partes aliquas materiae, nunc hic, nunc ibi, nunc alibi existere singulis momentis, h. e. localiter moveri observamus, eidem isti summae & efficacissimae voluntati acceptum esse ferendum? quandoquidem hic etiam, facere quicquam hic, ibi, alibi, spatiique partibus in quamplurimis successive existere, non minus quippiam est, sed multo plus, quam facere id simpliciter ac semel uno in loco existere. Concludamus ergo semel: Efficientem, aut, si mavis, exigentem motus localis causam, esse voluntatem DEI liberrimam & infinite potentem, nec eum ullam aliam minorem virtute produci posse; & hoc semel concluso porro intrepidè inferamus, invitissimis etiam praedictis, p. 162. Phys. Eclect. & seqq. pluribus, plene discussis: Neque corpus ullum, ut quod voluntate prorsus destituitur, neque mentem finitam ullam, utpote cujus velle non est simul posse aut efficere, sed potius (quod citt. II. ostenditur) incredibiliter impotens, movere quicquam aut motum in ullo corpore producere posse, neque adeo facultatis motricis capacia esse.

X. Vides igitur iterum, OPTIME SCHELHAMMERE, nunquam negasse omnem naturam, nec eam ipsam negare, quam tibi hoc insignire nomine collubuit; inò huic ipsi vim illam & activam potestatem, quam in caeteris significatibus plerisque huic nomini de-  
 „ nego, lubentissimum concedere. At enimverò, aeterna illa lex ex  
 „ voluntate divina immutabili pariter & sapientissima orta, quae uni-  
 „ versis operam praestat & singulis; illud praescriptum, quod p. 105.  
 „ in ipsa creatione primoq; temporis articulo omnibus rebus inditum  
 „ est, mundoq; impressum: haec Numinis summi voluntas in omnia  
 „ & praeterita & futura secula efficax, potestne hanc suam efficaciam  
 „ aliunde quam à DEO habere, si non ipse DEUS est, suamque vir-  
 „ tem sine virtute divina in quovis casu exerere, si non est ipsa Divina  
 „ Virtus unicam suam volitione in longinqua spatia & tempora aequè ac in  
 „ vicina & proxima operatio? Iterum iterumque dico, me non capere  
 „ quo pacto divinus ille jussus, semel generaliter factus, & nunc in quo-  
 „ libet casu particulari vim suam actu exerat, quin eo ipso virtus divina  
 „ ubique interveniat, & quicquid uspiam sit divino jussu, etiamsi generali  
 „ nec in singulis casibus renovando, virtute divinam in omnibus & per omnia

omnia operante fieri dicendum sit. Quid enim amabo (sit licitum in re tanti momenti *πευπλογῆν*) quid est ille jussus, illud FIAT potentissimum, quàm DEI voluntas & actualis volitio in futuris etiam quibusque seculis actualiter efficax, cùm VELLE & POSSE & AGERE in DEO ita connexa imò unum idemq; sint, ut, quicquid voluerit semel in futurum quoque fieri, id non solum possit suo tempore fieri, imò non possit non fieri, h. e. actu ipso fiat, eo tempore quo id fieri voluerat, adeoque virtute & efficaciam illius solius unicæque volitionis fieri omnia? Quamobrem si nondum assequeris, VIR OPTIME, quæ clarissima puto & propriis tuis assertis coherentissima, patere me saltem hoc meo abundare sensu, quo vel eo nomine non parum delector, quòd sacram Scripturam, sexcentis in locis eadem planè loquentem, idem quoque sensisse non possum mihi non persuadere; desineque, quæso te, iis onerare innoxiam sententiam consequentiis, quæ ipsam nullo modo, nullo jure, attingunt.

XI. Agnosces certè ex dictis luculentissimè, non sine multa injuriâ nobiscum committi p. 93. non solum Rajum Christianum, sed Vellejum infidelem, nullam, ut ais, Numinis cognitionem habentem, eumque Epicureum, ejusque tela, tanquam in nos quoque efficacia, quæ ipse in Stoicos infideles torserat, à te adversus me, in Christo fratrem, iniquissimè dirigi; utpote cui id, quod Vellejus, impurus homo, vehementer irridet, nunquam in mentem venit. Agnosces, Naturæ & Majestati & Omnipotentia Divinæ non, derogari quicquam hac nostra Sententiâ potius quam accedere, (quod præcedd. pag. 91 & 92 odiosius urges) utpote quæ crassam ejusmodi DEI cum creatura permixtionem & localem quasi nexum unà tecum abhorret, ideoque nec Animam Mundi Stoicorum in Scholas revocat, dum DEI voluntate (quod ipsemet asseris, & p. 113. *ἀπαίδευτον καὶ ἰμαθῆσαν*, h. e. alienâ voluntate & lege quadam agere naturam ex Hippocratis dictorio ratiocinatis) regi moverique mundum & creaturas docet; cùm motûs & vitæ principium sit anima corporea potius quàm Spiritualis (id quod brutorum exempla loquuntur) ac præterea mundus destituatur organis vitalibus ac animalibus, quod tamen ad hoc, ut animatus dici mundus queat, vel maximè requiri, præ nimio fortè studio gravandi asserta nostra & in aliorum odium adducendi, noluisti aut non potuisti animadvertere: Agnosces nunc, spero, citra causam pag. 91 & 94. mihi objici quandam in toto meo asserto inconstantiam & ambigui-

biguitatem. Quenam enim magis coherere & unà consistere rectius possunt, quàm ista? Moveri materiæ partes unas ab alteris aut per alteras, adeoque mediatè ratione suppositorum, eo modo, quo in globulorum plurimorum se contingentium serie pulso primo pelluntur cæteri successivè omnes; idque ratione virtutis utrobique immediatè, quia eadem virtus, nullâ aliâ interveniente, hîc & primum globulum & secundum &c. (sicut in loco Aristotelis supra cit. à percutiente clypeum unà percutitur clypeatus, non à clypeo) ibi & primam materiæ partem & sequentes innumeras omnes, totumque adeò mundum movet & gubernat; illa, inquam, Virtus DEI potentissima, quæ positâ semel ejus voluntate generalissimâ secretis conditionibus arbitrariis in aliquam quasi legis formam circumscriptâ, deinceps in omnia loca & tempora suam exerat efficaciam: Ac interim, eadem hujus voluntatis efficaciam Mundi fabricam ita dispositam esse & conformatam, ut ipsa nescia licet ac imprudens, ea omnia faciat (ejusdem scil. illius generalis legis & voluntatis, nullâ suâ isti contradistinctâ, virtute) quæ fieri ab ipsa, aut in ipsa potius, videmus, absque novo vel IPSIUS DEI, vel alius agentis Jussu, Labore, speciali, in casu quovis, conatu, aut particulari ac negotiosâ directione &c. Neque tam ineptus debebam credi, quem p. 55. in iis quæ circa aëris pressuram objiciuntur diluendis omnium qui vivunt per universam saltim Germaniam exercitatissimum (nullo quidem meo merito) appellas, ut existimaverim, id quod de aptè disposito globulorum ordine, & ex altera parte de partium mundanarum dispositione & utrorumque motu virtute unius ejusdemque moventis procurando dixi, tanquam de uno aliquo tertio in quo convenient, simul ad omnia alia extendendum esse, tanquam „ pariter ubique convenientia. Fateor enim ac lubentissimè, in ma- „ china mundana movenda, nullâ re amplius præterquam semel sta- „ tutâ lege nos indigere, neque opus esse DEUM adhuc operari aut „ movere vel singula vel universa, vel aliqua (novo scil. jussu, novâ „ curâ, novo conatu adhibito,) sed sufficit semel, id fieri olim vo- „ luisse, & tamen virtute illius semel promulgatæ quasi voluntatis „ (quæ profectò otiosa esse nullis unquam seculis potest) etiamnum „ operari & movere: Fateor etiam ex opposito, illum qui globulorum seriem continuè movere cupit, continuè quoque novum conatum movendi & primum globulum impellendi adhibere, nec unquam quiescere debere: Et scio quoque hujus diversitatis rationem evidentem; quòd nimirum divina voluntas semel elicitâ in omnia quoque futura, quæ

quæ respexit, tempora efficax est; voluntas autem humana, utpote valde finitâ ac debili pollens potentiâ, imo non hac sua, sed suppositâ DEI volitione, jussu & lege generaliore alterâ, movens (quam legem superiore cap. III. sub fin. num. IV. inuimus, in Phyl. verò Electiva p. 172. & seqq. prolixius exposuimus) suum subinde renovare desiderium, legisque divinæ conditionatæ efficaciz novam subinde occasionem præbere necessum habet.

XII. Quò magis miror illam Autoris nostri duriusculam loquendi rationem, quod *remotâ illâ Divinâ virtute* (nisi noviter ac repetitis subinde vicibus innumerabilibus applicandam, quam ipse quoque removi pridem, intelligat) omnes creaturas pulchrâ successione & perpetuâ serie, ad normam semel præscriptam, produci, mutari ac interire pag. 98. dicit; siquidem, uti superius num. VI. ostendimus, remotâ etiam illâ generali legis & voluntatis divinæ virtute, impossibile est ea, quæ fiunt in mundo, fieri, quod ipse non diffitebitur. Nec ego negavero unquam, Omnipotens Numen construere posse machinam, variam licet, & sua infinitâ sapientia dignam, ut per secula duret, & moveat omnia quæ continet, (NB.) potentissimo illo verbo FIAT ET MULTIPLICENTUR, cunctis, velut appenso pondere, primordium (sed addendum, & continuatio- nem) largiente motûs, ac delenda illa vocula incautiùs inserta, ut moveat sese. Nam uti per se impossibile est, aliquid seipsum movere, egregiè id demonstrante (quod novit) Aristotele Lib. VIII. Phyl. cap. IV. ita potentissimum illud verbum FIAT ET MOVEANTUR, non solum primordium largiri motûs, sed eadem suâ infinitâ potentiâ, ejus in secula dare continuationem & potuit & debuit. Quo pacto enim, quod motûs primordia sibi largiri non potuit, deinceps per plura secula, (quod multò plus est) sese moveat? Nisi, quod crediderim, ita rem intellexit, quòd illa mirabilis Mundi machina, recepto semel impetu virtute illius potentissimi verbi FIAT, ejusdem quoque non in præsens tantum valente, virtute motûs suos continuaverit, & in hodiernum diem continet, nullius impulsûs novi & in singula momenta iterandi indiga: quo sensu idem planè (quod sapiùs inculcatum) sentiremus, non æquè rectè interim locuti. Hoc tamen interea monendum adhuc, illam ab Artifice horologium concinnante petitam consequentiam prorsus non procedere, quasi nimirum quia horologium absente jam artifice, imò mortuo pridem, suos exerere motûs ope appensi ponderis nihilominus

nus potest; ita similiter, productam semel hanc mundi machinam, recepto tantum motus principio, deinde verò remota etiam Divinâ virtute Deoque interim (qui mori non potest) saltem ut inortuo vel otiante considerato, suos continuare motus esset possibile. Nulla est, inquam, nulla prorsus hæc consequentia. Cum enim artifex horologio suo ne materiam quidem, nec præter modos hujus materiæ quicquam conferat, ac ne hoc quidem nisi virtute potentissimæ voluntatis Divinæ, motus autem ne primordium quidem largiri potuit, sed hoc à ponderis gravitate (quæ vis ab eadem primæ legi potentia jugiter hodiernum emanat) emendicare necessum habuit; desinamus mirari, etiam mortuo & absente artifice, hoc ejus, quod vocamus, opus tamen operari, quod nunquam artificis virtute operari cœpit, sed virtute Divina, aut si mavis, virtute illius toties dictæ legi primæ (quæ nunquam otatur, nunquam moritur) & cœpit & continuat. Aliter omnino se res habet cum hac Mundi machina, quæ tota, quanta quanta est, & quoad materiam, & quoad hujus infinites-variâ habilitatem, & quoad formam generalem, & quoad partium formas partiales innumerabiles, & quoad motus primordia non magis quàm ejus continuationem, plenum DEI opus est. Finge DEUM ab hoc suo opere vel momentum abesse: Remove ejus potentiam & virtutem, vel ad unum oculi niçtum; & statim non solum cessabit omnis ejus motus, sed ipsa machina corruet, imò in nihilum, ex quo prodiit, protinus iterum abibit.

XIII. Patet hinc quid ad similem prorsus consequentiâ, p. 100. iteratò propositam, respondendum sit, ut nec opus haberemus vel verbulum addere. Monebimus tamen aliqua adhuc distinctiùs, si possumus, quæ nimis inculcari non possunt, quia plerique homines ex connato quasi præjudicio, aut longâ saltem assuefactione inveterato, (dum rem altiùs petere & ab ovo, quod ajunt, arcessere & examinare ne cogitant quidem aut animum iuducunt, ne moniti quidem) non Naturæ solum DEO ab ipsis rectè aliàs subordinatæ, sed etiam sibi met ipsis & artificibus plerisque omnibus multò plus tribuunt, quàm eis tribui salvo summo Numinis jure deberet. Et fatetur quidem Vir sæpissimè laudatus hac eadem paginâ, non ullâ ratione propriâ mundana hæc moveri, sed per mera organa ad præscriptum conditoris. Sed enim, cum hoc præscriptum tropicè veniat intelligendum (quid enim præscribas iis quæ nihil



nihil intelligunt? ) propriissimè loquendo nihil aliud dicet, quàm ipsam DEI potentissimam voluntatem, quã semel voluit ut essent non tantum & fierent, sed etiam moverentur, nec inciperent solum moveri & postea seipsis moverentur, (quo pacto enim id DEUM voluisse statuemus, quod in se est impossibile & in creaturam corpoream nullo modo cadere potest?) sed ut, virtute illius suæ in futurum etiam efficacissimæ voluntatis, & inciperent moveri, & ut ipse loquitur, *olim semel ab eodem perpetuò moveri iussa*, perpetuò etiam, pro ratione conditionum ex eadem illa lege aut voluntate (non ut fors tulerit) contingentium, moverentur. Quod si ergo virtute illius primæ voluntatis etiamnum omnia moventur, quomodo seipsis moveri dici possunt? quomodo Divina ista Voluntas non hodiernam efficaciam suam actu exerit? Et quomodo hac actu adhuc, licet è longinquo se exerente, DEUS tamen non amplius movere dici potest? Absit autem ut Creatori denegemus quicquam, quod creato cuidam & misero homuncioni integrum agnoscamus; dummodo quod misero homuncioni tribuimus non sit defectus aliquis aut imperfectio! Nam si homini misero integrum agnoscimus peccare posse & actu peccare, num ideo peccandi potentiam Creatori non denegabimus? Jam verò, quòd absente opifice & fabricatore machina textoria munus suum nihilominus exequatur, id primò intuitu magnam machinæ perfectionem videtur arguere; & esset utique magna perfectio, si ex artificis voluntate, non verò ex eadem primæ DEI lege, mediante scil. ponderis alicujus gravitate aut elaterii cujusdam nisu, motus machinæ vel inciperet vel continuaret. Nunc autem, quando voluntati artificis, ne præsentis quidem, ea vis est, ut motum in machina sua vel semel verè efficienter producat (id quod p. 172. & 173. Phys. nostræ Elect. seriò meditantibus abunde demonstravimus) tantum abest ut in futurum etiam illum continuari facere possit; hoc utique magnam arguit ipsius impotentiam, ob quam ipsi non tam integrum quàm necessarium est aliam potentiorum virtutem suæ impotentia subordinare vel in subsidium vocare, quæ, quòd ipse non potest, suppleat, machinæque suæ (cujus tamen nihil suum est, præter materiæ figuram aliosque modos, imò ne hi quidem) motum, ipso absente vel etiam non amplius superstite, conciliet. Talem verò, quam illi credunt, qui profundius meditari nondum adsueverunt, prærogativam potentissimo Numini, quòd præstare omnia uno nutu potest, vel ut ipse

loquitur, uno verbo, quod aliàs perpetuo labore præstandum esset, ut non denegemus, absit à nobis quàm longissimè.

XIV. Ejusdem commatis est illud, quod p. 102. dum, Archi-  
 „tectus, ait, postquam superbissimum extruxit ex solido lapide pa-  
 „latium, num quid conservat illud? num perpetuâ suâ præsentia opus  
 „est, ne collabatur ac ruat? Minimè gentium, addit, & ego cum  
 ipso; sed addo etiam rationem: Quid enim conservaret miser ho-  
 muncio, qui in toto illo superbissimo palatio quod ipsum extruxisse  
 dicit, nihil quod res aliqua sit effecit, sed materiam ex DEI thesau-  
 ris protraxit, nec pondus ipsi, quo firmiùs stabiliùsque partes unæ  
 alteris incumberent, nec tenacitatem nec rigiditatem aut robur ipsi  
 dedit. Id omne quod ipsi, non satis attendentes, tribuere possu-  
 mus, accidens est, modus aliquis materiæ est, demendo potiùs hîc  
 & ibi quippiam, quàm efficiendo & producendo; & ne hoc qui-  
 dem præstitit nisi alienâ virtute, generalissimæ scilicet illius legis  
 divinæ, in hominis illius lacertis, musculis, fibris &c. efficaciter  
 operantis. Quid igitur conservaret homo, ad quem quicquid  
 rerum adest, non pertinet, & quod ipsi aliqua specie attribui pos-  
 set, conservata materiâ ejusque conditionibus, eo ipso conser-  
 vatur, nec aliqua causâ conservante peculiari opus habet. Quid mi-  
 rum igitur in tanta hominis impotentia, ejus præsentiam ad rerum  
 non suarum conservationem minimè requiri? Quia nimirum mul-  
 tò major ac potentior virtus his rebus præest, quæ & ex nihilo eas  
 producere primitus & ne in nihilum recidant efficere sola potest,  
 idque nutu uno, verbo uno, semel dicto, nec ullo posthac tempore  
 iterando. Itane verò putemus tantâ potentiâ magis dignum, si ta-  
 lem creâset mundum, qui vel ab eadem conservari non potuisset,  
 alienâ deinceps virtute perstiturus, vel (quia hoc, manifestè absur-  
 dum, ab ipso utique negabitur) ejus conservatione non indigus *sua*  
*structurâ duraret*, sic imposterum à Creatore suo independens futu-  
 rus: quam sententiam, ut magis probabilem, ego agnoscere nequa-  
 „quam possum; uti nec istam, cum addit, interea nihil ob stare,  
 „quò minus DEUS impleat omnia, adsit cunctis suis operibus, sed  
 „(quod ex sequentibus colligo) otiosus; uti nimirum solis lux per  
 „hunc mundum diffusa est undique, nihil tamen sustinet aut conser-  
 „vat; quod ipsum tamen quo sensu dici possit, non intelligo: satis  
 expertus quippe, illâ solis benignâ & cum illo blando calore essen-  
 tialiter connexa luce totum vitalem & animale mundum ita foveri  
 ac susten-

ac sustentari, ut ista sublatâ penitus, non solum meræ tenebræ, sed emortalis rigor omnibus plantis, animalibus, ac ipsi homini foret expectandus.

XV. Sed enim verò, sacræ literæ disertè nos docent, ab operando post septimum diem cessasse & quievissè sacrum Numen, & complacitum esse in operibus suis. Quod si ab illo tempore quieverit, qui potest etiamnum movere singula vel universa, & tamen quiescere? Hæc per occasionem objicit p. 101. sed responsionem ipse suppeditat immediate sequentibus, quibus, post iteratum aliquoties ex mero bene-placito, per integrum *ἑξάμηρον*, potentissimum suum FIAT, eodem deinceps ita speciatim uti amplius noluisse, sed sancitâ generali lege (quam ipse p. 105. Numinis summi Voluntatem appellat) per hanc deinceps, ut ibidem loquitur, creaturas impellat, cogatque agere eo modo quo agere oporteat, contineatque ex adverso ne agant intempestivè, aut imoderatius &c. in quo quidem cum consentire inter nos omnino videamur, in hoc uno tamen aliquis etiam dissensus apparet superesse, quòd Vir laudatissimus illam legis aut Voluntatis Divinæ primævæ efficaciam in rebus corporeis, non ideò DEO ipsi statim adscribendam putet; ego verò me capere non posse profitear, quo pacto illa lex, h. e. DEI voluntas, uno primo actu in omnia futura tempora efficax, (quia est infinita & omnipotentis voluntas) etiam hodiernum agere, movere &c. dici possit, (velut omnino dicenda est) quin hoc ipso DEUS ipse agere, movere &c. dicendus sit. Quod si verò hoc ipsum quoque agnoscere non renueret, & hoc tantum aversaretur, si quis DEUM in singulis quorumvis seculorum casibus & occasionibus, iteratò semper ac seorsim applicatâ & in partes infinitas quasi distractâ virtute, agere & movere omnia statueret; eam mihi mentem nequaquam fuisse ex hæcenus dictis satis opinor agnoverit, essetque tunc inter nos plenarius consensus; id quod omnibus modis exoptaverim.

XVI. Ac foret quidem tunc superfluum ea dubia resolvere quibus circa generationem animalium & plantarum p. 93. 96, 99 &c. & circa generationem monstrorum p. 88. 94, 97 &c. de impediendo ita DEO in suis actionibus p. 67 &c. nostram, quam credebatur, sententiam gravare, alicubi etiam odiosius, sustinuit. Quod si verò etiamnum urgeri dubiis istis meam hypothesin existimaret, in proclivi mihi esset vel ex propriis ejus verbis ostendere, monstrorum generationem illi Legi divinæ generali nequaquam adversari,

nec eo nolente contingere ; ordinariam verò plantarum & animalium generationem ex æterna illa lege consequi, mihi quoque omnino persuasum esse ; suppositis scilicet, quos ipse quoque p. 99. quodammodo supponit, tubulis inaspectabilibus ac cæteris essentialibus lineamentis ac rudimentis, quæ non istius generalis legis, sed præcedentis cujusdam specialis jussus virtute, per istud nempe verbum potentissimum, FIAT & MULTIPLICENTUR, producta, terræque ac cæteris elementis inserta suppono ; non invito, ne hoc quidem uti credo, Viro Doctissimo, quia p. 127. pietati non minus, dicit, quàm veritati longè magis consentaneum esse, consilio, hoc est Divinæ sapientiæ partium mundi particularumque figuras attribuisse ; quoniam in finem dirigendæ erant, & unumquodque genus, cum altero coiens, vel componere vel perficere, & quidem perpetuo jubebatur : quicquid autem in finem dirigitur, nunquam casui permittatur, sed consilio regendum ordinandumque sit. Quorum verborum sensu, si quid judico, & mea ipsius constanti sententiâ cum inorganicæ quoque elementarium particularum, aut saltem animari non aptarum, formæ & figuræ DEI destinato consilio tribendæ veniant ; quantò magis id de primævis & organicis viventium rudimentis, intra parvum punctum mirabilem aliquem microcosmum concludentibus dicendum erit ? Verùm cum hæc fusiùs deducere chartarum angustia nunc prohibeat, & argumentum hoc nobilissimum ante hos annos decem in quadam *Συναγωγή*, (aliàs uberioriùs diducendum) de *Plantarum animaliumq; Generatione*, considerandum exhibuimus ; ideò filum hîc abrumpimus, omnem cepti peractiq; reddentes.

SOLI DEO GLORIAM!



ERRATA. p. 4. l. 17. Secuudam, lege Tertiam. p. 12. l. 21. opinior lege opinor.

Ad



Ad

*Nobilissimum*

DN. RESPONDENTEM.

*Collisa fortes arma probant Viros,  
Clamorq; pugna mutuus: ut chalybs  
scintillulas non ante spargit,  
viscera quàm silices recludant.*

*Et Tu lacertos armaq; commoves  
Tui daturus signa: ineuntium  
certamen enses obstinato  
ex cathedra Clypeo retundis.*

*Sic, quas recessu pectoris intimo  
flammas recondis, prosiliunt simul,  
ut publicâ deprecanda  
laude coruscet avita Virtus.*

*Quod forte mirum est, more DEI diu  
plerisq; cultam sede moves suâ  
NATURAM, adortus, quam benignam  
crederis olim habuisse, Divam.*

*Hæc*


*Hac nempe proles est cerebri Dea,  
 compar Minervæ fictitia. Hinc pio  
 in fabulam conversus ausu  
 vindicias DEI adis supremi.*


*Subest perennis gloria. Pro DEO  
 cœpisse pugnam, est vincere protinus.  
 Victoriâ nos ergo plausu  
 unanimi Tibi gratulamur.*

Sic lætabundi concinunt,  
 Nobilissimi DN. RESPONDENTIS

CONTERRANEL









AB: 155 159

ULB Halle 3  
002 673 711



f


sb.

VD 18

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

PHILOSOPHICA

VRA

CLASSVM

CATA,

NATURÆ, provi-  
ficaciâ Divinæ Virtuti  
saliter & particulariter  
tis,

LO

chi perpetuis VIRI  
nostram haud assecuti,  
inducatur;

MEO

STOPHORI

RMII

them. Prof. Publ.

SIDIO

IDENTE

IELE HAAKIO,

nsi Rhæto.

R. M DC XCVIII.

RICI MEYERI, Vniv. Typogr.

